

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECT. SAXON. HÆREDE,
EX PRVDENTIA MORALI,

DE

REGIMINE
LINGVAE,

PRAESIDE

DN. CHRISTIANO Röhrensee;

Philosoph. Pract. Prof. Publ. & Alumn.

Elect. Ephoro,

Patrono, Praeceptore ac Studiorum suorum Amplificatore

religiose semper colendo,

Publice disputabit

AUCTOR

M. SIGISMVNDVS CLEEMANN,

Gubena-Lufatus,

Ad d. III. Octobr. M. DCC. III.

VITEMBERGAE, Literis GERDESIANIS.

88.

a. XCVIII. 28.

Coll. diss. A
98, 28

Sächs.
Landes-
Bibl.



I.

Vantam sermo utilitatem societati humanæ afferat, quamque necessarius ejusdem usus sit, multi jam satis superque demonstrarunt. Nec operam illi perdidisse mihi videntur, præsertim tum, quia ipsi argumento gravitas & elegantia quædam inest, tum etiam, quoniam non destituuntur rationibus, ex quibus sententiæ suæ robur non exiguum accedere potest. Equidem homo naturali quodam instinctu fertur ad societatem, nec ejusdem indigentia, qua cum perpetuo ipse propemodum conflictatur, aliud mihi videtur suadere, quam ut quisque sibi quærat alium, ex cujus consortio sublevari hæc inopia possit. Verum cum istud alteri sine signo aliquo innotescere nequeat, hinc medio aliquo opus fuit, per quod alteri animi nostri sensa atque desideria communicari possent. Per sermonem vero istud ipsum quam commodissime fieri posse, ipsa experientia testatur, nec unquam aliter cum antiquior, tum et recentior Philosophorum schola docuit. Ipse enim *Tullius* ita sentit in *Libr. I. de Offic.* atque orationem vinculum societatis humanæ esse probat. Huic, ut longe plures taceam, suffragatur summus *Grotius*, sermonem pro instrumento societatis inter homines habens. *Vid. de J. B. & P. in Prolog. §. 7.* Equidem societatem quandam in mortalium cœtu etiam absque sermonis usu nonnunquam vigere posse, *Plinius* nobis persuadere cupit. Legimus enim in *Libr. IV. cap. 30. Hist. Nat.* quibusdam *Aethiopiae* populis pro sermone nutus motusque membrorum esse. Verum fides, quam huic auctori debemus, tanta non est, ut assertioni nostræ exinde aliquid decedere queat. Nec *Joannis Bulverii*, hominis *Angli*, labor cuiquam ignotus esse potest, qui ante annos aliquot peculiari libello demonstrare conatus est, qua ratione per manus mentis significationes indicari possint. Ast cum nobis haut constet, an quidam in ipsius sententiam abierint, vel etiam in ipsa praxi felices

felices & faciles artis hujus successus relictis priscis moribus experti fuerint, hinc nullam plane videmus causam, cur sermonis laudibus aliquid derogari, atque idem ipse de folio, in quod tot prudentum confessiones eundem collocarunt, deturbari debeat.

II. Nihil autem tam magnifice de sermone dici potest, quod non & vendicare sibi jure quodam possit *lingua, primum loquelæ nostræ instrumentum*, uti eandem *Magnificus Vaterus in Phys. p. 723.* vocat. Equidem non negamus, a rerum naturalium scriptoribus adhuc alias enumerari loquelæ causas: sed secundariam tantum & longe minorem, respectu ad linguam habito, operam præstant. Nullus enim inter præsentis sermo sine nobilis hujus membri ope proferri potest, nisi Deo per miraculum supplente ejus defectum. Quam restrictionem addo ex mente *Clariss. Uffelmanni in Tract. de Jure hominis circa Sermonem p. 13.* Nec obstant nobis exempla eorum, qui lingua destituti sermones tamen protulisse perhibentur, quorum mentio fit apud *Jac. Rolandum de Belehæd, Gallum, & Celeberr. Morboffium in Paradox. Sens. cap. 3.* Analogum enim ad minimum linguæ, licet non omnibus, cum primis aliquanto negligentius ea observantibus, obvium, remanere necessario debuit, cujus ope aër in faucibus, ut ita dicam, modificatus et justa agitatione formatus fuit. Atque ita tamen linguam manet sua laus, dum videlicet hominum societatem conservationem suam sermoni, sermo vero efficaciam atque partem laudem linguæ debet. Verum quantum laudis, si suo tempore & loco eodem recte utaris, meretur membrum hoc, quantumque utilitatis affert, tantum etiam detrimenti redundare potest in societatem humanam & imprimis in eos, qui abutuntur eodem. Si quoque dulcissima vina in acetum amarulentia plenissimum degenerare, atque res optimæ pessimam rationem induere solent, quid mirum, si ejusmodi vicissitudinibus etiam obnoxia sit lingua, ὄργανον μὲν ἀργαθῶν ὄργανον δὲ τῶν κακῶν μέγιστον, uti *Pittacus* eandem nuncupat? Scivit hoc jam pridem antiquior ætas; hinc ferme omnis Gentilium
schola

schola nullis monitis crebrius personuit, quam iis, quæ lingvâ compescendam dicitarent. Nec res hæc infra ipsius divini Numinis curam fuit, utpote quod toties per viros entheo spiritu percussos unicuique cautam hac in re circumspeditionem commendavit. Quæ cum ita sint, operæ forte fuerit precium, si hæc aliquanto penitius expendamus, deque regimine lingvæ, cuius usus legitimus vel abusus hominum negotiis qualitatem aliquam moralem superaddere sæpissime solet, nonnulla edisseramus.

III. In evolutione vero nominum tanto breviores esse poterimus, quanto quidem notior unicuique eorundem significatio esse debet. Quis enim etymon τῆ regiminis nescit? Ac quamvis quoque alias τὸ regere, cui originem suam debet nostrum, quod in rubro dissertationis nostræ comparet, vocabulum, alias actus solis Regibus & populorum moderatoribus sit proprius, non injurii tamen in Sacram Procerum majestatem erimus, si vel cuivis homini privato regimen aliquod adscripserimus. Discrimen quoddam nobis omnem periculi metum adimere potest. Variat enim regimen & non modo morale sed & physicum aliquod seu naturale datur. Posterius hoc non ex sano rationis usu, sed potius ex naturali quodam instinctu & ex anima sensitiva, vires suas exerente, provenit, ac nullius exinde imputationis capax est. Et tale quidem regimen ipsis brutis potissimum a Patribus aliisque morum censoribus, quamvis parum ἀκριβῶς, (quia regere actus humanæ menti proprius est, adeoque animam rationalem præsupponit,) tribui ex scriptis ipsorum constat. Cum enim animadverterent, quod ipsa bruta sibi temperent a nimia ingurgitatione, nec gulæ atque appetitui suo plus indulgeant, quam quidem ad explendam ipsorum famem sitimque satis esset; cum deprehenderent, quod vel feræ sævitia omnes facile superantes parcant tamen soboli atque congenerum rationem habeant, hinc regimen, quod hominum perversitati denegabant, ipsis brutis potiori jure adscribi posse existimabant. Hac enim ratione eo citius hominum mores bestiis ipsis nequiores

convictum atque ad pudorem redactum iri confidebant.

IV. Sed hoc regimen, cuius pertractatio ad aliud forum pertinet, hic non nostrum facimus. De morali potius regimine nonnulla hic monere licebit. Et hoc a priori tum ratione normæ, tum etiam ratione subjecti Quod & Quo longissime distat. Exercere illud ipsum nonnunquam homo cum naturæ tum etiam fortunæ favore adjutus in alios potest. Ast in semetipsum suaque membra regimen hoc morale administrare semper debet. Prius ratione potestatis & status in ecclesiasticum, politicum & œconomicum dispesci potest. Sed etiam de hoc in dissertatione nostra sermo non erit. Illa potius regiminis moralis species a nobis attenditur, qua quis non alium sed potius semetipsum suaque membra ita moderatur, ut in omnibus actionibus ad legem, ceu rectitudinis moralis regulam, respiciens genuinæ felicitatis particeps reddatur. Videatur *Puffend. de J. N. & G. L. II. c. 4.* Quemadmodum vero alias plurimis in rebus inter macrocosmum & hominem mira apprehenditur proportio atque æqualitas, ita & heic loci, regimen hoc, quod in microcosmo, i. e. ab homine in semetipsum administratur, ab altero nulla in re, si subjecti modo demas diversitatem, dissentit. In fine enim & causa normali svavi quadam harmonia conveniunt. Hæc igitur de regiminis significatione monuisse sufficiat. Lingva quo sub sensu nobis hic veniat, quilibet vel nobis ipsis tacentibus intelligit. Autores enim vocabulo hoc nonnunquam utuntur, quum vel certam loquendi dialectum & congeriem illam vocabulorum, ex quibus sermo hujus vel illius populi constat, indicare cupiunt. Ast enim vero, quod in hoc, quem jam indicavimus, sensu, neutiquam hic stare queat, facile vel ex combinatione utriusque vocabuli, dum de regimine lingvæ loquimur, & ex genio lingvæ Latinæ, unicuique dispalescere potest. Non enim hic in effectum ipsum inquirimus, sed potius lingvam ut causam instrumentalem actionis alicujus consideramus.

V. Jam vero ulterius progrediendum & in ipsam regi-

regi-

regiminis hujus naturam inquirendum erit. Invenio vero, quod illud ipsum gemino actu, cum positivo, tum etiam negativo absolvetur. Præcipit enim sana ratio nonnunquam actum negativum, cum scilicet habita circumstantiarum ratione lingvæ capistra quasi quædam injicit, ne latius evagetur, sed potius ad prudens silentium sese accomodet. Cum vero honestati & statui, in quo versaris, non satis congruum esse silentium nonnunquam videt, positivo actu opus esse censet, mediante quo vincula, quæ hucusque lingvam quasi constrictam tenuerunt, rumpere & ad loquendum accingere nosmet possimus. Hi duo quasi cardines sunt, in quibus totum hoc, cui jam incumbimus, negotium vertitur. Videatur ea de re *Thomas. in Libr. II. cap. 7. Inst. Jur. Prud. Div.*

VI. Enimvero lingua ipsa circa quantitatem vix ita sese gerere poterit, quo minus vel excedendo vel deficiento cespitet, nisi prius ei de qualitate rerum, circa quas vel loquendo vel tacendo versari debet, exacte constet. Actui enim positivo sese applicabit, cum potius ad negativum properandum fuisset; & præpostera electione sese vertet ad silentium, cum sine vituperio sermonem negligere non poterit. In naturam igitur rerum & objectorum, circa quæ officium suum exerere debet lingua, deveniendum prius est, quam membro huic tum ad bona tum etiam ad mala promptissimo laxemus vel etiam injiciamus frena. Hæc enim consideratio anima quasi est nostri, quod tantopere commendamus, regiminis lingvæ. Nec aliud mihi svadere videtur *Ambrosius*, qui in *aureo suo de officiis tractatu Libr. I. C. 10.* ita fatur: *Sapiens, priusquam loquatur, multa considerat, quid dicat, & cui dicat.* Ut aliorum consensum hic taceamus.

VII. Vivimus sane in societate humana, & eadem sermone quasi vinculo aliquo conservanda est. Hanc vero societatem neutiquam ullo modo lædendam esse, vetat interdictum naturæ humanæ proprium eidemque instillatum. Amor enim proximi utique mihi, perinde ac officium illud, quod mihi metipsi salutique meæ debeo, implantatus est.

Exinde

Exinde igitur videt quilibet, cujus modo oculi voluntaria aliqua cœcitate non sunt perculli, mihi, uti alia re quapiam, ita etiam sermone neutiquam lædendum esse vitæ meæ Socium. Si ulla igitur in re lingvæ dominari debet regimen secundum naturæ honestique leges institutum, certe ea in re adhiberi istud necessum est, cum ex pravo lingvæ abusu non tam in nosmet ipsos, quam etiam in alios redundare videmus malos rei hujus malæ effectus. Duplici enim modo fauciat hoc telum, atque non modo conscientia meæ, verum etiam alterius rebus nocet.

VIII. Contingit vero idipsum tunc imprimis, si *ἐκβολῆς* vel etiam sine intentione nostra falsa atque commentitia quædam loquamur, aliorumque mentibus propinemus res nullo veritatis fundamento firmas. Lingvæ enim nostræ præsertim veracitas commendanda erit, quia simul ac eandem negligimus, confestim dissolvetur societas humana vel tamen sæpenumero variis calamitatibus infestabitur. Equidem id certum est, quod, si de intentione atque proposito falsa proferendi aliis constiterit, eo magis infauftus actionis hujus finis imputetur auctori, censuramque eo rigidiorum incurrat. Coincidit enim cum mendacio, imo ipsam mendacii naturam absolvit. Videantur ea, quæ *Augustinus L. de Mend.* habet. Exinde quoque tritissima illa apud scriptores morales divisio originem trahit, cum inter mendacium atque falsiloquentiam nonnihil discriminis statuunt, falsiloquio plus faventes, quam quidem mendacio, quod omnes velut culpabile, viroque honesto indignum facinus abominantur. Homo tamen ejusmodi falsa etiam sine intentione alios circumveniendi proferens, non plane extra omnes censuræ jactus positus mihi esse videtur. Quamvis enim fraudulentum atque mendacis nomine non sit insigniendus, incuria tamen ipsius merito taxanda venit. Majorem enim circumspectionem in indaganda rerum veritate, plusque studii adhibere debuisset, ne credulus atque incautus ipse incautos alios falleret, sui que erroris participes redderet. Ita etiam sentit *Illust. Puffend. Lib. de J.N. & G.p. 466.*
Veri-

Veritati enim studendum est, si non semper Logicæ, quæ ob varias causas sæpenumero nobis deesse potest, tamen omni tempore Ethicæ. Interea tamen is felicitatis insigni fructu abundat, qui utramque svavi vinculo conjungens vera loquitur animo ab omni fraude alieno. Hinc homo in rebus adhuc incertis, vel quas ab iis, quibus fides tum ob imprudentiam, tum etiam propter notam mentiendi libidinem habenda non est, percepit, linguam ad silentium potius condemnare, quam eidem loquendi licentiam indulgere tenetur.

IX. Differuimus jam de eo, quantum damni aliis ex intermisso membri hujus regimine accedere possit: Nunc etiam, quid nobis ipsis potissimum nocere queat lingua regiminis omnis impatiens, videndum erit. Equidem *sermo* secundum *Senecam animi index est*, & *Democriti* verba omnino, quæ hic legantur, digna sunt: *Ut enim, inquit, in speculo faciei figura: ita in verbis animi qualitas uniuscujusque hominis deprehenditur.* Cum enim hominum oculis omnino negata fuerit, sine interventione alius adhuc membri animi sensa peruestigandi facultas, eorumque acies in abditissimos cogitationum recessus penetrare neququam possit, hinc ad sermonem veluti cogitationum intus latentium nuncium attendunt, qui interiora mentis humanæ, & quid de unoquoque habendum sit, expiscari sibi proposuere. Quam caute igitur hic procedendum, quantaque prudentia in laxandis vel etiam coarctandis linguæ frenis hic opus erit! Existimatio enim nostra, imo universa actionum nostrarum felicitas, uti per prudens linguæ regimen conservari auge-rique, ita per incautum atque nimis languidum penitus amitti potest.

X. Quod calamitatis genus facile in nos redundare potest, si quando lingua in proferendis eis occupatur, quæ contemptum nobis apud alios parere solent. Parum enim consulit ille ipse honori suo, qui scurræ potius, quam prudentis personam sustinet in consortio hominum moratorum constitutus. Ad animum ergo prius omnia revocanda sunt, quam lingua suas vices obit, utrum scilicet ipsum sermonis nostri objectum vel cum honestate pugnet, vel

B

etiam

etiam plane nullius momenti sit, nec ne? Præsertim vero probe præcipiendum lingvæ est, ne res obscœnas, scandalorumque plenas proferat. Talia enim qui facit, non tam aliis (prudentum enim animus per tela ejusmodi mores suos expugnari haut patitur,) quam sibimetipsi suæque auctoritati nocet. Levem enim animum suspicamur inesse iis ipsis, qui leves inutilesque cædunt sermones; & cujus lingua turpibus sese commaculare non erubescit coram aliis, ab hujus certe pectore parum pudici atque honesti, dum neminem reformidat, expectari poterit.

XI. Lingvæ vero dum abstinendum esse dicimus a rebus turpibus iisdemque obscœnis, tantum abest, ut & jocos honestos atque innocentes sub turpium rerum catalogo comprehensos velimus, utpotius eosdem, habita temporis locique ratione, omnino in honesta societate tolerandos esse, multorum scriptorum auctoritate nixi statuamus. Videantur *Guazz. de Civil. Conv. & Wendelini Philosoph. Moral. 644. & plures.*

XII. Cum quoque de uniuscujusque in nos affectu & candore nobis neutiquam constare possit, prudens idcirco quoque lingvæ regimen in iis rebus adhibendum est, quæ periculosæ sunt, perniciemque, nobis parere possunt. Quod quidem obtineri potest, si in judicando de unius alteriusve, præsertim potentiorum hominum, susceptis consiliis actionibusque non simus adeo liberi, nec eorundem famam atque existimationem labefactemus. Hac in re lingvam non ita, veluti par erat, præsentiaque tanti Regis exigebat, compescere norat Clytus, Alexandri M. facta atque susceptas expeditiones in convivio coram aliis fugillans. Inde etiam liberior lingvæ impetus morte expianda erat, de qua re elegantissime *Curtius Libr. VIII. cap. 1.* Ut recentioris historię exempla, quæ passim obvia sunt, sicco hic pede præteream. Equidem non ita lingua hominum in principum aulis versantium regenda est, ut ad omnia Principis vitia taceat, imprimis tunc, cum omnes scire fatentur, quid fortuna populi ferat, sed dicere mustant; cum quoque ex ulteriori silentio ruina Reip. & ipsius Principis contemptus certissime sequi videtur. Sic enim adulatoris nomine insignien-

signiendus esset, nec tam Principi & Populo, quam sibi suis-
que commodis serviret. Verum ut ejusmodi admonitio-
nes opportuno tempore loquoque & summa cum modestia
fiant, neve exinde majestati atque reverentiæ Principum
aliquid decedat, sedulo prospiciendum esse docent autores
rerum politicarum periti. Videatur ea de re *Berneggerus in*
quest. Pol. ad Tac. Qv. CCXIII.

XIII. Nec laudanda nobis videtur intemperies lin-
gvæ penes quosdam, qui de rebus etiam, quæ modulum in-
genii eorundem excedunt, multa tamen subinde crepant,
ac singularem quandam rerum peritiam simulant. His enim,
si prudens in lingua moderanda inirent consilium, atque
cauto silentio ignorantiam suam tegerent, si non sapientiæ
alicujus, prudentiæ tamen atque calliditatis omni culpa va-
cantis gloria relinqueretur. Intellectus enim tantum mar-
ceret in ejusmodi hominibus, nec labes ipsa voluntatem
ceterasque animi facultates depravaret. Inde etiam penes
omnes fere gentes ætate provectis libere differendi facul-
tas concessa, juvenibus vero silentium tantopere commen-
datum fuit. Juventuti enim, quia annis adeoque expe-
rientia adhuc destituitur, potissimum tacendum esse, rectis-
sime censuerunt veteres, ne scilicet ex inconsiderantia ex-
cideret eidem aliquid, quod aliorum scommata atque san-
nas provocare possit. Quamobrem Pythagoræ nimium
rigorem frustra perstringunt, qui discipulis suis quinquen-
nale silentium nimis morose impositum esse volunt. Pro-
fundius enim atque accuratius videbat vir rerum peritis-
simus, atque eos mores, qui per totum vitæ spatium utili-
tatem suam exerere solent, statim primis temporibus in-
culcandos auditoribus suis esse judicabat. Unde etiam multos
defensores nactus est, quos inter e recentioribus *Jo. Grönin-*
gium Actum in Bibl. Jur. N. & Gent. p. 39. & e veteribus vel
unum *Simplicium in Cap. XLI. Epict.* nominasse sufficiat.

XIV. Quid quoque de iis censendum sit, qui in de-
cantandis propriis laudibus nimium lingvæ indulgent, quam-
que evidens stoliditatis documentum edant, hic jam pluri-
bus persequi non vacat. Adeat, qui hac de re plura desi-
derat,

derat, laudatissimum *Uffelmann. p. 36. & Drexelii Phaët. p. 673.*

XV. Quanquam vero omnibus, uti jam demonstratum est, lingvæ regimen commendandum sit, nec ullus, qui negligens hac in re fuerit, veniam apud prudentes morum censores mereatur; inveniuntur tamen nonnulli, quibus regimen hoc præ ceteris proprium quasi esse debet. Quo enim magis arduum atque variis difficultatibus plenius negotium est, circa quod lingvæ labor versatur, quoque pejor effectus sequi potest intermissum hoc regimen, eo etiam penitentiorem considerationem sermonibus suis præmittere tenetur, qui lingvæ rite præesse cupit. Et cum, docente nos ita *Grotio*, jus alteri non ex mero animi mei sensu, sed ex signis de sensibus animi significantibus accrescere soleat, ultro magnam hic in regenda lingua requiri circumspeditionem patet, ne videlicet ea hic cespitet, & obligationem subeat viribus nostris majorem. Pacta enim & contractus si semel fuerint initi, acceptatique, aliquam libertatis nostræ particulam nobis adimunt, jusque dant alteri in nosmet ipsos, nostrumque arbitrium. Hinc quoties ineunda sunt pacta cujusvis generis, quoties per contractus ad hoc vel illud faciendum seu omittendum fidem nostram aliis adstringimus, rectæ rationi voluntatique nostræ, si ulla in re, tum præsertim asserendum & vindicandum est dominium in lingvam, ne illa in contrahendis rebus impossibilibus vel juri naturali & civili contrariis præceptis eat.

XVI. Quod si ergo in ineundis pactis atque nudis promissionibus tanta opus est circumspeditione, ne eventus ipse fallat, sed respondeat lingvæ pollicenti, quid demum fiet, si pactis atque obligationi exinde emananti gravius adhuc pondus, roburque validius per juramentum accedat. Hoc igitur in negotio tanto major cura in compescenda lingua nobis injungitur, quanto quidem severior atque eminentior ille ipse est, quem ad actionem nostram ut vindicem atque testem religioso mentis cultu accersimus. Nec modo apud nos, qui præter lumen naturæ adhuc faces scripturæ revelatæ accensas intuemur, *religiosa hæc affirmatio*, uti *Cicero Libr. III. de Off.* vocat, tantum valet: Sed & omnes ferme
gen-

gentes eidem tantum detulerunt, ut cum hominis mens ar-
 etius obligari non possit, in jurisjurandi religione acquie-
 scendum esse censuerint. Quantum hoc quoque valuerit
 apud gentes, vel ex unico Agesilai exemplo conspicitur, de
 quo elegantissime *Nepos in Vit. Ages. Cap. II. Agesilaus Laco*
jusjurandum servans multum in eo consequi se dicebat, quod Tissa-
phernes perjurio suo & homines suis rebus abalienaret, & Deos sibi
iratos redderet: se autem servata religione confirmare exercitum,
cum animadverteret, Deorum numen facere secum, hominesque sibi
conciliari, quod his studere consuessent, quos conservare fidem vide-
rent. Conferatur ea de re *CL. Dn. M. Miri, Con-Rect. Zittav.*
Præceptoris quondam nostri Disputatio de Obligatione Juramenti
An. 1682. Wittenb. habita.

XVII. Ex eo itaque apparet, quam impii quamque ab-
 surdi sint, qui e Pontificiorum schola reservationibus men-
 talibus in omni assertione, quin & ipsis juramenti locum
 concedi posse putant. Accurate hanc hypothesein *Puffen-*
dorffius enervat *Libr. IV. C. I. de J. N. & G.* inter alia hæc dicens:
Hoc modo omnis usus juramentorum, imo omnis ratio interve-
nientibus signis sese obligandi ex humana vita tolleretur, si quis
tacita sua intentione posset impedire, ne effectus ille actum sequa-
tur &c. Libr. IV. cap. 1. Inficete igitur & contra omnem
 æquitatem, quæ pacta alias semper comitari debet, Imperato-
 ris Friderici I. justissimam de violatione fidei exprobratio-
 nem Mediolanenses diluere studuerunt dicentes: *Juravimus*
quidem, sed juramentum attendere non promisimus, uti ex Rade-
vici Libr. II. cap. 5. constat. Imo & in ineundis cum hæretico
 pactis omnis fraus exulare debet a lingua, nec fides eidem
 semel data frangi sine gravi scelere potest. Hæreticus etenim
 non definit esse homo; at vero homines omnes, qui ad ratio-
 nis usum pervenerint, capaces esse juris ex promisso, in du-
 bium vocari non potest. Ut jam alia argumenta prætermittam,
 quæ contra hanc in Pontificiorum scholis passim rece-
 ptam hypothesein (quicquid etiam ad amoliendam hanc a suis
 assieclis opinionem *Becanus in Opusc. I. de fid. hæret. servanda*
§. 3. 4. 5. tentet) hinc inde apud *B. Meisnerum Phil. Sobr. part.*
III. Sect. I. qv. II. Thes. II. & seqq. & B. Dorsch, contra Euseb. repe-
riuntur.

XVIII. Prudens quoque justumque lingvæ moderamen ei subeundum est, cui sermo aliquis ad alios perferendus ita demendatur, ut eundem characterem eandemque auctoritatem gerat, ac si is ipse, qui vel ob certa negotia, vel ob muneris sui eminentiam colloquiis ejusmodi sese subtrahit, adesset. Ad eos præsertim ea spectant, quibus a mittente libera non fuit relicta facultas, res demandatas pro lubitu, & uti quidem maxime nobis proficua esse videntur, administrandi. Mediatori æquidem nonnunquam plura tentare licebit: sed nuncio atque perlatori sententiæ semper ad mittentem ejusque voluntatem respiciendum erit. Homo enim ejusmodi se tantummodo instrumenti loco haberi meminisse debet, nec hic arbrium cuius suum, sed alterius potius voluntas suprema lex esto. Gravisimam ergo, quibus talis demandata functio est, curam gerere debent, ne lingua vel in approbandis vel promittendis rebus latius evagetur, quam quidem præscripti a Domino limites permittunt. Quapropter qui gentium res gestas pervolitare fatagit, Romanos potissimum ea in re ita rigorosos deprehendet, ut ne paternus quidem affectus filium impune fecisse siverit, si quædam citra voluntatem atque mandatum Reipublicæ, felici quamvis ausu atque eventu, gesta fuerint. Conferri ea de re poterit *Boeclerus*, qui, quousque sese extendere possit obsequium missi erga mittentem, solidissime demonstravit in *Dissertatione de religione mandati*.

XIX. Quantum vero Ecclesiæ ministro, qui confessionibus sacris præest, hac in re liceat, utrum videlicet ea, quæ per confessionem acceperit, reticere, an vero pro temporis & necessitatis ratione lingvæ laxare frenum teneatur, multum disputant casuistæ, tum nostrates, tum etiam Pontificii. Ast magna horum, quorum ultimo loco mentio facta, seges est, in qua tamen lolium subinde & steriles avenæ dominantur. Pertractarunt enim istud satis operose *Vincentius Filicius*, *Laymannus*, *Henricus*, *Henriquezius*, sed ita pertractarunt, ut alii sigillo confessionis plus nimio tribuerint, alii vero ejusdem obligationem maxima ex parte enervantes omnia hac in re licere confessario statuerint. Verum quo minus huic rei nos immergamus, ipsa, quam sectamur, brevitatis facit. Plura
ea

ea de re qui volet, adeat *Casuum Conscientiæ volumina*, ut
& *Magnif. Dn. Præfidis, Patroni & Præceptoris nostri pie colendi*
Disputationem de Obligatione secreti anno 1672. habitam.

XX. Quemadmodum vero in regimine aliquo politico cum voluntas imperantis, tum etiam promptum subditorum obsequium illum semper intueri finem debet, ut non modo Principis sed & aliorum imo totius reipublicæ salus exin enascatur: ita etiam hoc in imperio, quod circa linguam versatur, parilis scopus observari debet. Equidem & is, qui huic regimini præest, non modo semetipsum intuetur, verum etiam ad longe plura, scil. objectum personale & nonnunquam etiam reale respicit, si modo rectum hac in re finem consequi gestit. Homo enim, si cum fructu loqui velit, si actus loquendi genuino gaudere debet effectu, non ad seipsum, verum ad alios loqui, sermonisque sui finem intendere debet. Imo actionem sibi societati que humanæ parum profuturam vel plane supervacaneam susciperet, qui regimen hoc ab omni hominum consortio longe remotus exercere vellet. Sicuti quoque secundum *Grotium de J. B. & P. Lib. II. cap. 9.* actus internus societati humanæ minime congruens est, ita etiam hoc regimen linguæ ad alios non respiciens, quoniam rationi actus alicujus interni proxime accedit, exiguo societati humanæ usui esset. Quapropter, quod si hoc linguæ regimen omnem rigidioris censuræ notam evitari, nec fine suo destitui velit, aliorum semper etiam rationem habere, adeoque felicitatem tam propriam, quam etiam alienam, intendere debet. Obligationis hujus fontem tum ex amore, quo natura unus fertur in alterum; tum ex speciali nonnunquam pacto quodam, quod sæpius in quam plurimis actionibus insuper accedere solet, arcessendum esse arbitramur.

XXI. Ne autem regula atque norma, quæ, quid nostri in nosmet ipsos, quid in alios officii sit, admoneat destituti incertum vagemur, probe ad honestatem intellectus voluntatisque oculi dirigendi sunt. Huic enim si semper accommodes actiones tuas, sine legitimo non excides. Quoties igitur hæc divinitati proxima res linguæ libertatem indulget, loquendum; quoties eidem silentium, veluti loco
tem-

temporiquē accommodatius commendat, tacendum erit. Nec est, quod oculos nostros perstringere debeat utilitatis cuiuspiam fulgor, ni idem comitem individuam secum habeat honestatem. Hinc quoties utilitas honestate non stipata nostro appetitui sese offert, felicitas exinde enascens non amplectenda, sed velut spuria, atque famæ, imo salutis nostræ pestis vitanda erit. Nec, dum a fine hujus regiminis lingvæ tam operose utilitatem eliminamus, & eam hic exclusam volumus, quæ ex observatione honesti consequi solet. Verum uti primus statim intuitus non ad utile, sed honestum dirigi debeat, hic tantum docemus. Honestatis enim si rationem habueris, utilitati etiam nostræ, quæ tamen huic virtutum principio subordinata esse debet, invigilare quid vetat? Præterea etiam honestas ipsa semper utilitate perfundit subiectum, rebus laude dignis se accommodans; & conscientia bona, quæ ex honestis actionibus nascitur, an exulare debet e classe utilium? Quocirca & ipse Tullius quicquid honestum est, idem etiam utile esse, non semel in aureo de Officiis libello demonstravit. Hæc equidem si observemus, nec aliud quidpiam intendamus, quam quod ad tuendam honestatem conservandamque tranquillitatem facit, omnino de fine legitimo nobis gratulari poterimus.

XXII. Verum enimvero, cum ita multa, in quæ nos ferunt affectus, ad quæ propendet voluntas bonorum apparentium sæpissime appetens, evitare; e contrario vero lingvam ad ea dirigere jubeamur, quæ, quoniam pulchra sunt, difficultatibus obnoxia videntur menti male sanæ: hinc ultro patet, raro finem legitimum sibi præfixum habere, qui ad clavum hujus equidem membri sedent. Maxima potius pars, velut in aliis rebus, ita & hic rapitur in devia, finesque maxime illegitimos sectatur. An etiam illi de vita, felicitateque metuentes, honesto fine excidant, num ne, qui in statu confessionis suæ constituti callide fidem religionemque suam dissimulant, quod omnino semper licitum esse Priscilianistæ B. D. *Rebelio Antiqu. Eccl. Sec. IV. Artic. XI* teste, voluerunt, propter chartæ angustias explicari satis non potest. Res enim amplissimi est argumenti, & præterea etiam a Theologis

logis & rerum moralium scriptoribus satis enucleata est. Equidem ex sua mente scopum sibi non incongruum, utilitatem scilicet propriam intuentur; num vero utilitas hæc arctissimo nexu copulatam quoque secum trahat honestatem, id altiorem adhuc exposcit indaginem. Personæ siquidem, coram quibus res nostra tali in statu agitur, probe sunt expendendæ, inque officium eorundem, inquirendum est, utrum videlicet legitimo jure in me gaudeant talia exposcendi, nec ne? Multa quoq; hic de simulandi vel dissimulandi studio dici possent, an nonnunquam unum ex his in regenda lingua eligi, & quousque libertas hæc, salva conscientiæ tranquillitate, extendi possit. Sed cum argumentum ipsum forte prolixius instituto nostro sit, atque ea de re plurima in Ethicis Systematibus obvia dentur, merito labore hoc superfedemus.

XXIII. De fine jam satis: Nunc etiam, quinam effectus regimen nostrum tam crebro nominatum sequantur, dispiciendum erit. Equidem omnes actiones ex bona præfesi atque laudabili voluntatis proposito provenientes plerumque, si imprimis circa agendi modum a nobis nihil fuerit neglectum, felices exitus atque bonos effectus fortiuntur. Nec mala præmia rebus sic se habentibus providus lingvæ suæ moderator expectare poterit. Hæc enim manent illos, qui finem regiminis plane spurium sibi præstitutum habent. Cum vero constet, lingvæ officium tam latos agnoscere fines, ut omnes ferme, paucis exceptis, virtutes per instrumentum hoc nobilissimum sese exerant, eisdemque complementum quasi superaddant; hinc ultro liquet, quanta quidem ex legitimo atque prudenti hujus membri regimine bona, quanta quoque mala ex intermisso hoc labore oriri queant. Quid enim proderit tibi mentem habere justitiæ studiosissimam, quid urbanitas, quid comitas intus adhuc in bona intentione delitescens te juvabit, nisi talem te esse per lingvam aliis etiam significaveris? Quamobrem fieri non potest, quominus aliarum virtutum fere omnium effectus atque commoda vindicare sibi quodammodo possit lingua bene se gerens.

XXIV. Sicuti vero jam ante omnem regiminis hujus naturam vel actu positivo vel negativo absolvi diximus: ita quoq; juxta eundem ordinem in percensendis effectibus, ne inordinata multitudine obruamur, progredi animus nobis est. Dum enim lingua præscripto rectæ rationis exacte morem gerens nil magis quam veritatem in cunctis negotiis atque sermonibus sectatur, vinculo quasi constringuntur animi aliorum, ut & bene de nobis sentiant, & in posterum etiam eo promptius nobiscum agant. Hinc non modo bona conscientia in nobismet ipsis, verum etiam candoris laus penes alios hoc prudens lingvæ regimen comitari solet.

XXV. Favoris quoque & existimationis alicujus consecutio, quam plerumque apud quosvis invenit tempestivus lingvæ moderator,

C

inter

inter effectus hujus regiminis, enumeranda venit. Qui enim nil nisi honesta loquitur, qui nil nisi accommodata profert, eum certe omnium in sese non modo aures, verum etiam favorem convertere posse quis dubitat? Omnes quippe quam avidissime occasionem cum tali homine conversandi amplectuntur, ut ex sermonibus ipsius, qui nil nisi ardua atque viro gravi digna spirant, capere possint, quod sibi proficuum, quodque mores atque scientiam in gradum altiore[m] evehere queat. Hinc quantum prudens hoc lingvæ regimen existimationis Bellarmino apud Clementem VIII. P. M.; Cartesio apud Christinam Sveciæ R. aliisque apud alios pepererit, vel *ex vita Bellarmini L. III. c. 5. & Exneri Valerio M. Christiano*, qui peculiari capite de *Principum cum doctis conversatione* differit, cuilibet constare potest.

XXVI. De effectibus, qui ex regimine lingvæ circa actum positivum occupato fluunt, dictum est. Jam & in uberem utilitatum ex actu negativo oriundarum proventum inquirere, ex eoque spicas saltim nonnullas, quandoquidem plus nobis nunc non licet, delibare animus fert. Equidem disceptatum jam fuit inter autores, utrum ex actu hujus membri positivo, num ex negativo plus pertigerit utilitatis ad lingvæ moderatores. Nos hic nobis tantum non sumimus, ut has lites componamus. Videatur ea de re *Wendelinus in Philos. Moral. p. 659*. Vidimus lingvæ exercitio laudem atque effectus satis felices derogari nullo jure posse. Verum quod nec illi destituantur utilitate, qui membro huic non plus nimio indulgent, jam nobis erit monstrandum. Inter alios vero effectus securitatis beneficium se mihi offert. Enimvero, uti antea jam fuit monitum, ad mediocritatem respiciendum est. Hanc qui observaverit, omne punctum feret, nec eidem sese surripiet effectus tanto dignus conamine. Etenim vivimus in consortio hominum, quorum quidem diversa indoles tantum abest, ut nota nobis esse possit, ut potius vel unicuique id felicitatis genus propter necessitatem cum multis conversandi denegatum esse, quilibet mihi concedat. Hinc igitur, si præter necessitatem lingvæ non indulseris libertatem, omnium ibi tutissimus atque securitate gaudebis, cum interea incautus atque parum solers regiminis hujus assertor frustra deplorabit nimiam in regenda lingua socordiam. Non enim pro explorato habemus, quem sensum ex verbis nostris exculpere, & annon sermonem ex animo sincero proficiscentem subdola interpretatione depravare alteri allubuerit. Hic certe si quis tyrocinii rudimenta, quid in schola *Casp. Scioppii* multa de arte cavillandi tradentis didicerit, deponere gestiat, vel ex quavis sermonum connexionem occasionem elicere poterit. Adeo igitur tacuisse fere nunquam, sed locutum aliquando fuisse poenitere potest!

XXVII. Nec tantum securitatem, sed & insignem prudentiæ atque circumspeditionis laudem perinde uti in actu positivo, obtinet, cujus regimen pluri-

plurima ex parte ab actu negativo & silentio dependet. A magna enim loquentia ad exiguam prudentiam concludere jam scivit antiquior ætas. Idcirco etiam is, qui parum cum aliis loquitur, eo plura secum loqui secundum Senecam in Epist. CV. existimatur. Imo alios potius, quam semetipsum loquentem audire semper in maxima laudis parte reponi solet. Hinc Scriptura S. optima morum nostrorum informatrix, characterem hunc stultum a prudente dignoscendi in lingua ejusque regimine ponere videtur, loquacitati stultitiæ elogium, parsimoniam verborum autem laudem prudentiæ assignans.

XXVIII. Porro nostrum, quod tantopere huc usque commendavimus regimen velut immediatus atque certissimus effectus sequitur rixarum & contentionum evitatio. Enimvero vivendum nobis est inter homines, quorum in consortio semper inveniuntur, qui vel felicitatem nostram torvis aspicientes oculis non modo coram aliis, verum etiam sæpissime coram nobismet ipsis proscindere consueverunt. Quam igitur felicibus nobis esse licebit, si hic cum prudenti circumspectione, ne ulla ex re noceatur nobis, patiens jungatur silentium, quod fecisse Elisabetham Angliæ R. adeoque multorum machinationes eluisse, ex *Symbolo illius & Cambdeni Annalibus* constat. Sic enim cum a te jurgia generoso contemptu magis, quam proluxa verborum serie confutari videbit adversarius, sponte sua desistet ab incepto, teque non ulterius laceffet ad reciprocandam rixarum seram. Equidem tam angusti limites a nobis linguæ neutiquam constituuntur, quo minus nonnunquam etiam aliorum frivolæ rixandi libidini possit regerere aliqua, quæ pertinere queunt ad dilucidanda & avertenda ea, quæ nobis opposuit malevolorum lingua. Retorsionem enim neutiquam vel e JCtorum confessu vel etiam e Philosophorum & Moralistarum schola penitus eliminatam scimus. Quin potius in nosmet ipsos, nostramque famam, quæ *tamen pari cum vita passu ambulat*, dicente proverbio, nimis essemus injurii, si semper scommata, quæ os improbum aliorum evomuit, pateremur inulta. Equidem *Gerhardus Pfannkuchius*, *magnæ autoritatis JCtus*, contra easdem pugnavit, atque illicitas esse multis rationibus evictum dare fategit: Verum confutata hæc a *summo Struvio* parum firmum causæ præsidium ostenderunt. *Videantur utr. scripta ea de re edita.* Respiciendum quippe inter alia semper & ad eventum est, numne vel ex defensione quam moliris, honori tuo adhuc gravior jactura obvenire possit. Atque si dicendum, quod res est, is mihi maxime sapere videtur, qui has contumelias non tam suæ linguæ (ea enim illatas injurias nimis larga plerumq; retorsione pensare solet) quam aliorum judiciis & imprimis judicis legitimi arbitrio, si tempus id ferat, dilucidandas permittit.

XXIX. Varios hucusque & eos satis luculentos effectus, qui ex regimine hoc oriuntur, expendimus. Affectiones igitur ejusdem jam quoque ex ante dictis deducendæ veniunt. Vidimus equidem, quod in quovis vitæ humanæ statu amplecti quisque teneatur hoc felicitatis suæ organon. Hinc quam necessarium idem nobis sit, facili negotio apparet. Qui enim videt, quot telis atque affectuum insultibus invadatur hoc membrum, ille sane necessitatem regiminis hujus evertere nequit. Non enim illi sede sua, in qua infelici fidere ceperunt initia, contenti, sed per linguam ulterius adhuc evagari deque existentia sua testari solent. Quod si igitur eorundem in animo nostro ortus tam facile restingui atque impediri nequeat, tamen, ne toxicum, quod nobis nocet, alios etiam polluat, neve latius serpat pestis, hoc opus, hic labor erit. Paucis siquidem id felicitatis genus contingit, quod *Catoni* contigisse *Cicero* testatur: *Eum videlicet nunquam emisisse verbum, quod emissum doluisset*, allegante judicium hoc *Pancirolo Parte II. p. 220. in Libr. de reb. dep.* Quare unusquisque, qui modo in naturam suam descendere non gravatus fuerit, tam necessarium sibi hoc regimen esse animadvertet, quam quidem alias certissimum exitium impendet viris hac in re parum sedulis.

XXX. Necessitas hujus regiminis hucusque a nobis satis luculenter, uti confidimus, demonstrata est. Jam de utilitate ejusdem quoque nonnulla dicenda forent, si quando in percensendis affectionibus regiminis hujus velimus curatius procedere. Ast enim vero brevibus hac in re nobis esse licebit. Res in se clara nostra non indigere videtur expositione. Cum enim tam prolixè de egregiis effectibus regiminis hujus dixerimus, quis quæso de utilitate ejusdem ambigere potest? Ex effectibus enim potissimum de rei alicujus utilitate judicium fert accuratus rerum naturalium & moralium ruspator. Prout quisque in iis invenit aptitudinem aliquam ad felicitatem, eo majorem utilitatem rei cuidam inesse hariolatur.

XXXI. Verum uti alioquin, quæ honesta, & quæ pulchra sunt, difficilia quoque judicantur, ita & heic loci, si ad nostrum linguæ regimen oculos vertas, rem sese habere in aprico est. Honestum id ipsum esse, imo nec defraudare utilitate illum, qui munia ejusdem accurate explet, superius a me demonstratum est. Restat nunc, ut quoque de insigni difficultate nonnulla dicamus. Equidem unam tantum natura nobis dedit linguam, adeoque merito in dubium vocamus, quæ de Insulæ alicujus in Oceano versus meridiem a *Jambolo* repertæ habitatoribus *Joanes Boemus in Rit. Gent. p. m. 426.* his verbis refert: *Habet lingua eorum privatim quid, tum a natura, tum ab ingenio datum: Divisam enim linguam natura largita est. Ita igitur varia utuntur loquela, ut non solum voce hominum loquantur, sed avium diversarum imitentur*

tentur

tentur cantus. Et, quod admirabilius videtur, una cum duobus hominibus perfecte simul respondendo tum disputando loquuntur: una enim lingvæ parte uni loquitur, reliqua alteri &c. Præterea etiam de magnitudine membri huius, utpote quod quantitate alias corporis partes haut æquat, dolendum non est: Interim tamen licet numero & magnitudine aliis maxime impar sit, adeo tamen difficulter regitur, ut potius quævis alia in ordine continere possis, quam lingvam. Causæ, unde tanta in membro hoc ad rebelandum propensio oritur, ex variis quidem fontibus derivari possunt. Habet enim plurimos seductores lingua, qui in diversa eandem rapiunt. Eccui enim ignotum est, quoties in nobis affectus pravi invalescant, quoties hebetes intellectus nostri oculi vel plane cœcutiant vel saltim, rejectis bonis, in mala & culpabilia ferantur. Quam diu ergo hæc dominantur in politia corporis nostri, tantum abest, ut lingva sanæ rationi, *Imperatori & Duci vitæ mortaliæ, secundum Sallustium in Bell. Jug.* suam subdat cervicem, ut potius præbeat se facillimam ad exequenda ea, quæ honestati contrariantur.

XXXII. Sæpissime quoque pœnæ non e vestigio intermissum lingvæ regimen comitantur; aliquando etiam illæ, licet adsint, non uti par erat, expenduntur. Hinc homo, cum nulla incommoda ex neglecto hoc regimine sentit, non tam cito, relicta veteri protervia, melius inire solet consilium. Non vero diffitendum, quod quam sæpissime eadem ipsa lingva, quæ minus cauta pernicipi nos immittit, suam in perpendendis circumstantiis oscitantiam abominari cogatur. Nonnunquam quoque pœna (quid enim stigma propter adulationem vel mendacium conscientia nostræ impressum aliud, quam pœna, vel pœnæ analogum est?) mentitur speciem boni, nec homini tam molesta, tamque dura videtur, quam quidem re ipsa est, vel progressu temporis fieri potest.

XXXIII. Hæc quidem cum ita contingant, clarum evadit, cur lingva incauta toties in præcipitia ruat, nec punctum a sana ratione præscriptum ferire possit. Equidem *Leonardus Rubenus, Abbas quidam Pontificius centum & viginti quinque modos* enumerat, quibus lingva labi possit. Scimus quoque, quam *Drexelius* in percensendis lingvæ vitiis inierit rationem: ast in tanta quidem rerum copia ne numerum quidem inveniri posse semper persuasum habuimus. Nonnunquam enim nimis languidum, nonnunquam quoque nimis rigorosum lingvæ nostræ regimen esse solet. Prouti quippe vel majorem vel minorem honestatis rationem habet, exinde etiam qualitatem sortitur vel laude vel culpa dignam. Qui igitur neglecta mediocritate vel nimis laxos vel etiam nimis arctos limites lingvæ ponit, in utroque peccat, nec boni mo-

deratoris nomen meretur. Quamvis vero in concedendo nimis largo lingvæ spatio potissimum delinquere videamur, dubitari tamen nequit, quin & sæpenumero plus justo coarctemus linguam, & ad silentium tum nobis tum etiam aliis perniciosum dirigamus actiones ejusdem. Sic regimini suo parum præest, qui in officio publico constitutus adversariorum molimina non curat, nec aliorum æstum in existimationem suam inundantem cohibere sustinet. Tali quippe in negotio non tantum nostri, verum etiam posterorum ratio habenda erit. Cum enim ex silentio sæpius colligatur consensus noster, hinc probe vigilandum, nec lingvæ commendandum est silentium, ubi alterum dignitati vel rebus nostris inhiantem, & ea, quæ ad nos pertinent, sibi vendicantem animadvertimus. Præsertim intempestivum hoc nostrum silentium eo majori tunc dignum est censura, cum ex interpellatione nostra alterius innovandi pruritus facili negotio impediri potuisset. Hic ergo si lingvæ omnis libertas adimitur, præscriptionem alter urgebit, nec tam facile ea, in quorum possessionem semel silentibus nobis irrepsit, sibi rursus eripi patietur. Videantur *Grotius de J. B. et P. L. II. c. 5.* & *Morboffius in Disp. de Jure Silentii.*

XXXIV. Hæc concernunt ea, quæ officio nostro in se spectato & cum præcisione subjecti nocere possunt. Jam vero ne & conscientiæ nostræ per intempestivum lingvæ regimen inuratur stigma, sedulo cavendum erit. Enimvero omnibus in negotiis, quæ ad te spectant, nunquam ita parcendum personis est, ut ex in rei ejusque æquitati aliquid decedat. Sic parum commode administrare censentur hoc regimen illi, qui vel ex metu, vel etiam alia quavis re, ne alteri displicere incipiant, vel etiam periculis adaperiant latus suum, ad omnia oscitanter tacere solent. Equidem in officio aliquo constitutus, semper in aliis quædam apprehendit, quæ obelisco digna videntur. Hic igitur vitiis aliorum non parcendum erit; sed lingua strenue tum in amica admonitione, tum etiam in severiori aliqua correctione, & si ea non suffecerit, in accusatione justa coram judice legitimo exercenda est. Facili igitur negotio reprehendi potest præposterum silentium eorum, qui, ne in amicitiae leges videantur esse parum æqui, imprudenti silentio tegunt ea, quæ periculose satis suscipi vel in Reipublicæ statum, vel unius alteriusve conditionem ex ipsa complicum revelatione sciunt. Hic sane major universi status vel etiam honestatis, quam quidem amici, turpia atque periculosa machinantis, ratio haberi debet. Amicitiae equidem leges sanctæ sunt, nec unquam prava revelatione arcanorum temeranda fides est. Hinc recte *Isocrates in Or. ad Demon. magis sermonum, quam pecuniarum deposita*
recte

servanda esse censuit. Ast cum eadem cum honestate pugnare, utilitatisque Reipublicæ noxia esse videtur, rumpenda sunt vincula vel nonnunquam per ipsam linguam talia revelantem. Hæc nisi utiliter a nobis agantur, favore amicitiae nomen in abominandum conjurationis crimen degenerat. Hac in parte parum cautum fuisse *Philotam, Parmenionis filium, vel ex Curtii Libr. VI, cap. 7.* constat. Hic enim majorem amicitiae, quam ipsius Alexandri salutis rationem habendam esse ratus excidio suo parentavit linguæ intempestive silenti. Parile intempestivi silentii præmium tulit *Thuanus, magni illius Thuanii filius.* Conjurationis enim, qua nefario facinore petebatur salus ipsius Regis Galliae, conscius, nec eandem patefaciens, dignus censebatur, qui eandem supplicii poenam cum ceteris factionis autoribus sustineret, rem totam nobis enarrante *Priolo, L. I. §. 4. seqq.* Plura videantur apud *Gatakerum, Adv. Misc. cap. XXX. p. m. 327.*

XXXV. Hunc etiam in censum referendi sunt illi, qui, quoties alium hærentem vident in errore aliquo citra ipsius imprimis voluntatem ipsi evenienti, verbis parcunt, nec operam dant, ut rerum ignarus ad meliorem sensum perducatur, præsertim cum eum vident mediis plane omnibus destitutum, quibus superare atque vincere ignorantiam suam possit. Peccat enim contra commune humanitatis jus, quo quisque aliorum etiam commodis favere in iisdemque promovendis operam suam impendere jubetur; nec DEI & conscientiae tribunal effugiet, quamvis propter neglectum hac in re officium dicam illi scribere forte nemo poterit.

XXXVI. Quod si omnis plane reatus non expers est homo ignorantiae aliorum non subveniens, quid demum cum illo fiet, qui, quoties proximo inscienti imminere periculum vel vitæ, vel fortunæ videt, nec ab aliis eundem admonitum iri colligere potest, eidem talia non revelat, nec discrimen arcere ab illo admonitione sua sustinet. Tantum certe abest, ut taciturnitatem atque in proferendis sermonibus socordiam excusare possit apud rem rectius expedientes, ut potius moraliter velut causa aliqua in alterius damnum coinfluere videatur. Si enim natura præscribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam tamen causam, quod is homo sit, consultum velit: necesse est, secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. Eum enim, qui, cum reticet, quod notum facere vel ex justitiæ expleticis, vel etiam ex humanitatis & charitatis regula debebat, teneri quodammodo, a *Grotio, ejusdemque commentatoribus Zieglero & Osiandro statuitur. Vid. Grot. Lib. II. cap. 10.*

XXXVII. Dicit quoque si angusti, quibus circumscribimur, imites id permitterent, non nihil posset de controversia illa inter gravissimos *Stoicos Diogenem Babylonium, ejusque discipulum Antipatrum agitata, indeque a Tullio,*

Tullio, Grotio, ejusque Commentatoribus ventilata: Num videlicet quicquid vitii inest rei vendendæ, si sciat venditor, nominatim dicendum sit emptori, nec ne? Sed rei prolixitas & chartæ angustia longiorem hac quidem in re a scopo nostro non patitur discessum. Adeat, qui ea de re luculentius aliqua nosse cupit, Ciceronem ejusque Officior. Libr. III, ut & D. Rachelii Comment. in hunc loc. p. m. 475.

XXXVIII. Nec possumus, quin & illum ponamus in numero inhoneste & intempestive silentium, qui, quoties alterius absentis famam, imo facta traduci, atque sic transversim & finitrem, cum periculo præfertim absentis, explicari audit, eundem modo licito non defendit, præsertim cum sibi satis superque de æquitate causæ, deque moribus absentis integerrimis constet, nec periculum capitis exinde impendeat. Humanitati certe id plane contrariari videtur. *Homo enim in adiutorium mutuum generatus est, & fortitudo, quæ defendit infirmos plena justitiæ est, dicit Ambrosius de Off. L. I. C. V. Id quod etiam Sanioribus Gentilium ita videbatur, quanquam necessitati huic nimis largum indulserint spatium. Plato enim de Legibus Libr. IV. poena non levi afficiendam talem in defendendo alterum Segnitiam censuit, illudque Ægyptiorum legibus cautum fuisse Dion. Libr. I. testatur. Plura videantur apud Dn. Schützium, Ictum in Opusc. de recta silentii ratione.*

XXXIX. Et hæc de regimine lingvæ nimis rigido dicta sunt. Jam & nonnulla de nimis laxa membri hujus moderatione ex methodi lege dicenda forent; Sed lucem hæc sibi foenerari possunt ex ante dictis, cum scilicet de subjecto, variisque modis, quibus illa agant contra honestatem, nonnulla prolata sunt. De mediis quoque, quorum ope regimen lingvæ numeris fere omnibus absolutum obtineri possit, quædam monenda, & legitima, quæ potissimum ad circumstantias loci temporis & objecti respectum habent, ab illegitimis discernenda essent. De Eremitis, qui omni hominum confortio, ne lingua peccent, se subtrahunt & contra quos *Puffendorffius* variis in locis pugnat, aliqua dici possent. Præterea etiam exagitanda esset stoliditas *Agathonis*, Abbatis Romani, triennio silicem, ad obtinendum lingvæ regimen in ore circum ferentis, de quo *Pelag. Libr. IV. n. 7. & Drexel. l. c. p. 382.* imo & aulici cujusdam, in conspectu Antipatri sibi lingvam, ne arcana patriæ eloqui cogeretur abscedentis, quod *Paschalius in Tr. de virt. & Vit. p. 142.* testatur. Sed ne in immensum crescat dissertio, rivos hic claudimus; regimen nostrum ita describentes: quod sc. sit *virtus quædam moralis lingvam juxta honestatis normam ita dirigens, ut ne vel deficiendo, vel excedendo peccet, sed habita temporis loci & objecti ratione mediocritatem amplectatur, ut exinde tum nostra felicitas obtineri, tum etiam Societas cum aliis conservari queat.*

S. D. G.

Coll. diss. A. 98, misc. 28